

## SYNOPSIS

# Definitionum philosophicarum.

PROLOGUS. Habes in hoc opusculo, studiose lector, definitiones omnes divisionesque, quae in categoriis prima et secunda programmatis philosophici Lavallensis comprehenduntur.

Quas definitiones ex Summa Philosophica Zigliarae plerasque sumptas invenies, nonnullas tamen ex fontibus aliis, imo multas, quae, licet a Scholasticorum mente minime dissentiant, non adeo abstrusae visae sunt, proindeque juvenibus edocendis aptiores.

Gressu simultaneo procedunt ambae categoriae, ut statim complementum habeat ex secunda quidquid de prima positum fuerit. Unam tamen ab alia nullo negotio dignoscere est; siquidem titulos qui ad primam pertinent extra textum in marginam protrudentes, qui autem ad secundam intra textum positos invenies.